



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

70. An Capitulum Sede vacante possit eligere duos Vicarios? Et quid, si
esset de consuetudine eligere duos Vicarios? Ex p. 8. tr. 4. res. 61.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

nam cum prætere: quia in hac electione Vicarij
 succedit in locum Capituli, ac supplet eius defectum,
 ergo tenetur eligere Vicarium, eo proribus modo, quo
 tenetur eligere non Doctorem, quando haberi potest
 Doctores; ergo neque potest eligere extraneum, quan-
 do in Capitulo adesset æque idoneus. Addit Garcia
 de cap. 7. n. 13. quod si in Capitulo, in quo non sunt
 Doctores; vel Licentiatum iure Canonico, adesset ali-
 quis iuris Canonici peritus, & idoneus, deberet eligi,
 cuius electio esset nulla. Quod probat, tum ex illis
 verbis, vel alijs quantum fieri possunt, idoneus; tum
 etiam ex quadam declaratione Sacre Congregatio-
 nis, quam refert num. 12. ubi dicitur, existentibus
 Doctores in Capitulo, vel Licentiatum, necessa-
 rio eligendos esse Doctores, vel Licentiatum; si ve-
 ro non sint, sufficere, ut vnus eligatur, qui sit quan-
 tum poterit idoneus. Cæterum quod dicit hic Au-
 ditis procedit tantum cæteris paribus; unde si in
 Capitulo non adesset Doctores, vel Licentiatum,
 quamvis existerent aliqui idonei ad hoc munus Vi-
 carij; si tamen haberi posset extraneus Doctores, vel
 Licentiatum; hic deberet præferri, vt colligitur ex
 declaratione Sacre Congregationis, & supra re-
 latis.

RESOL. LXVII.

An Capitulum, Sede Vacante, possit eligere Parochum
 in Vicarium? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 58.

§. 1. **H**oc dubium tangit Barbosa tractat. de Ca-
 non. cap. 42. num. 37. & respondit non posse
 Vicarium Parochum habentem curam animarum,
 nisi illam gereret in eadem ciuitate, & Ecclesia, vt
 ex seq. decisione constati Petrum fuit à sacra Con-
 gregatione Cardinalium negotijs Episcoporum &
 Regularium præpositum, an Episcopali Sede Va-
 cante Canonici eligere valeant in Vicarium genera-
 lem Canonice eiusdem Ecclesie, qui in eadem ciui-
 tate, & Ecclesia curam quoque gerit animarum? Sa-
 cra eadem Congregatio affirmatiue respondit, in
 vna Otien. 19. Martij 1591. & 19. Iulij eiusdem anni
 vbi etiam fuit dictum quod contrariæ decisiones in-
 telliguntur de Parocho rurali. Hæc Barbosa.

2. Vnde sic intelligendus venit Marcellus. Vul-
 pe in praxi Fori Ecclesie. cap. 44. num. 18. vbi docet,
 Parochum habentem curam animarum, non posse
 esse Vicarium Capituli, Episcopali Sede Vacante;
 nam ita Sacra Congregatio rescripsit Archiepiscopo
 Surentho, quod etiam notauit Merolla tom. 3. disp. 7.
 dub. 18. num. 191.

RESOL. LXVIII.

An Capitulum, Sede Vacante, debeat eligere Vi-
 carium, qui sit in sacris constitutus? Ex part. 8. tract. 4.
 Refol. 59.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Nouarius in summ.
 num. 19. vbi sic ait: Declaratur secundò, vt Vicarius
 Capitularis debeat necessario esse in Sacris; nam li-
 cet Sacra. Concil. Trident. hanc qualitatem non pe-
 tet, tamen Cleme. VIII. in dictis literis hoc ex-
 pressè iubet, vt Canonice, qui non est in Sacris,
 non possit esse Vicarius. Itaque; cui adde Venerum
 in Exam. Episc. lib. 4. cap. 1. n. 13.

2. Sed Nouarius, vt obseruat Merolla tom. 3.
 disp. 7. cap. 7. dub. 28. n. 189. illarum literarum nullum
 Tom. III.

testimonium authenticum affert. Et quavis dictæ
 literæ reperirentur, nihilominus hodie non obliga-
 rent, quia continent præceptum personale latum, sci-
 licet ab homine, quod morte dicti Clementis ex-
 pirauit.

RESOL. LXIX.

An Capitulum, Sede Vacante, in creatione Vicarij te-
 neatur seruare formam, Cap. quia propter de ele-
 ctione, & Concilium Tridentinum sess. 25. de Re-
 gular. cap. 6. Vel non sit necessarium, vt electio fiat
 per vota secreta? Ex parte 8. tractatu 4. Re-
 solut. 60.

§. 1. **R**espondeo negatiue cum Garcia de benefi-
 tom. 12. part. 5. cap. 7. n. 21. vbi sic ait: In ele-
 ctione autem Vicarij Capituli, non requiritur forma
 cap. qui propter de electione, nec decreti Concilij,
 sess. 25. de regular. cap. 6. quia non loquuntur de eo,
 quamvis Fulcus d. n. 32. dubitet, an in electione dicti
 Vicarij sit seruanda forma dicti cap. quia propter, qui
 tamen dicit Cardinalem Alciatum ignisse non re-
 quiri: & Zerola in d. praxi 1. part. verb. Capitulum,
 §. 3. ait istam electionem Vicarij, non esse necessa-
 rium fieri per vota secreta, vt nonnulli asserere vide-
 bantur ex Concilio d. cap. 6. quia ibi loquitur Con-
 cilium de electione superiorum Regularium, non
 secularium.

2. Et ita contra Fuscum censuit Sacra Congre-
 gatio, vt in sequenti declaratione super d. cap. 6.
 ibi, constituere, vel existentem confirmare, &c. Non
 tamen requiritur ad hoc quod seruetur forma ele-
 ctionis præscriptæ per Concilium sess. 25. cap. 6. de
 Regular. post cap. quia propter, de electi. quia isti Vi-
 carij vt plurimum, sunt temporales, & momentanei;
 & text. hic loquitur de constitutione, non de ele-
 ctione. Huevsque Garcias.

3. Igitur, vt dixi, negatiue ad propositum du-
 bium respondendum est; nam cap. quia propter, lo-
 quitur de electione Episcoporum, & aliorum Præla-
 torum Ecclesiarum Collegiarum habentium gene-
 ralem iurisdictionem, vbi dicit ibi Panorm. de men-
 te gloss. & Syluest. verb. Electio 2. q. 1. quia dict. cap.
 intendit prouidere solum Ecclesiis Pastore viduatis,
 vt patet ex text. ibi, Ecclesie viduata; at verò per
 mortem solum prædictorum Prælatorum, remanent
 Ecclesie viduata, & sine Pastore; ipsi enim appellan-
 tur proprie sponsi Ecclesie, vt de Episcopis expres-
 se dicitur in can. sicut q. 1. Vicarij verò ipsorum non
 dicuntur sponsi, quia non sunt Prælati Principales
 Ecclesiarum. Concilium autem Tridentinum loquitur
 tantum de electione Prælatorum Regularium.

4. Hinc inferitur, non esse necessarium vt electio
 Vicarij Capitularis fiat per vota secreta.

RESOL. LXX.

An Capitulum, Sede Vacante, possit eligere duos Vi-
 carios? Et quid, si esset de consuetudine eligere duos Vicarios?
 Ex p. 8. tract. 4. Ref. 61.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Garcias de benefi-
 tom. 1. part. 7. cap. 7. num. 37. vbi sic ait. Sed
 est difficultas, an Capitulum, Sede Vacante, possit
 plures Vicarios constituere, & videtur non posse;
 nam Concilium d. c. 16. loquitur in singulari, & ex
 declaratione 3. supra adducta num. 25. & hoc quando
 in vita Episcopi non solet esse nisi vnus Vicarius.

M in 2. 2. Nihil

2. Nihilominus dicendum erit posse plures constitui, sicut potest Episcopus. Panvin. d. *quasi*. 10. *part. num. 6.* Sbioz. *dist. lib. 1. quasi. 50. & 60. n. 3.* Marc. Anton. *Genuen. supra, num. 2.* & Zecchius *d. cap. 23. de Vicario Episcopi, §. 1. num. 3.* sicut quod tradit Azevedo *in l. 1. tit. 9. lib. 3. recopilat. num. 12.* & videtur sentire sacra Congregatio in declaratione vltima supra adducta, *num. 10.* & in Abulen. adducta, *num. 11.* & ita praticatur in aliquibus Ecclesiis, & Concilium loquitur in singulari, quia regulariter non solet poni nisi vnus Vicarius; non tamen tollit quod non possint esse plures & dispositio loquens de vno, habet locum in pluribus, quando eadem est ratio in illis, *Gloss. cap. si compromissarius, communiter recepta secundum Nauarr. de castro, sub num. 113. & dist. declaratione 3.* loquitur quando Capitulum volebat vnum ponere, & in controuersia fuerunt plures assumpti, & praeterea videtur loqui, quando fuerunt assumpti plures quam duo, ita quod non conueniret esse tot Vicarios, &c. vel quando vnus habebat qualitates requisitas à Concilio, alij vero non, vt videtur intelligere Marc. Ant. *Genuen. supra.* Hucvque Garcia.

3. Sed non deseram hic apponere verba Machadi *tom. 2. lib. 4. part. 4. tract. 1. docum. 8. num. 4.* sic asserentis. *Es tambien controuerso entre los Doctores, si en la misma manera que el Obispo puede elegir dos Procuradores, vno para el conocimiento de las causas espirituales, y otro para el de las temporales: pueda tambien lo mismo el Cabildo Sede Vacante. Y si bien algunos autores lo niegan, sino es donde huviere costumbre legitima, Ragucio Autor graue la concede sin limitacion. Muchos comunmente lo conceden, especialmente en las partes donde la costumbre lo huviere concedido.* Ita ille.

4. Verum Nouarius in *summ. Bull. tom. 1. tit. de Capit. Sede Vacante, num. 15.* obseruat Sacram Congregationem determinasse vnum tantum constitui posse Vicarium, nisi aliud esset de consuetudine.

RESOL. LXXI.

An Capitulum, Sede Vacante, creando Vicarium, possit aliqua sibi reseruare?

Et notatur, quod Vicarius constitutus à Capitulo non possit alium instituere, nisi ad modicum tempus, & ex urgente magna causa.

Et quid, si Vicarius infirmitate detentus esset, vel alio legitimo impedimento occupatus? Ex p. 8. tr. 4. Resol. 62.

Sup. hoc infra cursum in sine Rel. 73.

§. 1. **R**espondeo, quod cum iurisdictio Vicarij Capitularis dependeat ab ipso Capitulo, potest Capitulum illam limitare, & ampliare, ex quo ipsa iurisdictio residet principaliter penes Capitulum: & non transfertur in Vicarium, nisi exercitium iurisdictionis tantum; hinc sequitur, quod potest Capitulum in deputatione Vicarij aliqua sibi reseruare, & ita docet Vulpes in *praxi Fori Eccles. cap. 44. num. 28.* Barbosa de *Canon. cap. 42. num. 43.* Nouarius in *summ. Bull. tom. 1. tit. de Capit. Sede Vac. num. 17.* & alij.

2. Notandum est tamen hic obiter Vicarium constitutum à Capitulo, non posse alium instituere, nisi ad modicum tempus, & ex vrgenti, & magna causa, ac non nimis frequentem. *Holt. in cap. Clericos, de off. Vicar. Card. in Clem. vnic. eod. tit. q. 19.* vel nisi haberet mandatum speciale à Capitulo, vt possit alium substituere eum claus. quem ex nunc, pro-

ex tunc nos substituimus. Et si Vicarius infirmitate detentus esset, vel alio legitimo impedimento occupatus, potest de consensu tamen ipsius Capituli, causas tunc pendentes alteri delegare. Sed si Capitulum vellet durante infirmitate alium Vicarium deputare, posset vtiq; facere.

RESOL. LXXII.

An tota auctoritas Capituli, Sede Vacante, transeat in Vicarium etiam in his, que requirunt speciale mandatum? Ex p. 8. tr. 4. Rel. 64.

§. 1. **R**espondent aliqui, totam Capituli auctoritatem, etiam in his, quae requirunt speciale mandatum, transire in Vicarium. Ita docet Garcia de *benef. tom. 2. part. 5. cap. 7. num. 28.* & alij.

2. Sed haec opinio displicet Rotae in vna Mantuatiensi pensionis die 25. Iulij 1626. coram Pirovano, vt optimè obseruat Nouarius in *summ. Bull. tom. 2. tit. de Capit. Sede Vacante. n. 10.* & Barbosa de *Canon. cap. 42. num. 103.*

RESOL. LXXIII.

An electo Vicario possit Capitulum, Sede Vacante, aliquid exercere iurisditionem?

Et an Capitulum possit aliquas causas alteri delegare?

Et an Vicarius Capituli, Sede Vacante possit dispensare sine speciali mandato in casibus in quibus Episcopus dispensat?

Et an possit Capitulum in ipsa deputatione Vicarij non tamen postea, aliqua reseruare? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Rel. 41.

§. 1. **C**asus est practicabilis: & negatiuum sententiam tenet Gaztias de *benef. tom. 15. part. 5. cap. 7. num. 25.* & sequentibus, vbi ita asserit. Videtur Capitulum; Sede Vacante, non posse in aliquo se intromittere circa administrationem iurisditionis, seu sibi aliquid reseruare: sed debere totam administrationem iurisditionis libere Vicario relinquere; licet antea posset dare huic Vicario potestatem restrictam, & limitatam, vt per Panvinum *quasi. 10. part. 2. num. 6.* quamvis hoc non feruere in aliquibus Capitulis, quae solent aliqua sibi reseruare, & denegare Vicario. Et ita tenet Marc. Anton. *Genuen. supra, num. 3.* dicens, quod post Concilium Tridentinum non potest Capitulum vnam causam alteri delegare: siquidem cum non possit administrare per seipsum; sed per Vicarium, in quem Concilium transfert potestatem, non potest ab eo illam auferre, & alteri causam delegare, nisi ex iusta causa, nempe suspensionis vel alia. Secundò videtur in Vicarium electum à Capitulo, Sede Vacante, eo ipso transire totam iurisditionem Capitulo competentem; nec esse necessarium speciale mandatum, seu commissionem, quoad ea quae in Vicarium Episcopi non transeunt sine speciali mandato: nam cum Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam iurisditionem administrat, non videtur necessaria aliqua specialis commissio.

2. Verum non desunt alij opinantes potestatem, seu iurisditionem concessam Vicario non esse priuatiuè ad Capitulum; sed cumulatiuè: sicut dicimus de Vicario